



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-384137-p0002-6

DFG

DISPV TATIO IN AVGVR ALIS

216.

De

1628, 11
xxxii

24

IVRE PATRO=
NATVS ECCLESIA-
STICO, TEMPORIBVS
MAXIME NOSTRIS AC-
comodata,

QVAM

Divina favente gratia & clementia,

DECRETO NOBILISSIMÆ ET AMPLIS-
simæ in florentissima Argentoratensi
facultatis Juridicæ,

PRO SVMMIS IN VTRQVE IVRE PRIVILE-
giis & honoribus DOCTORALIBUS ritè
obtinendis

Discutiendam proponit


DIETERICH HEVCHELIN NEOBURGO-
PALATINUS.




ARGENTORATI,

Excudebat PAULUS LEDERTZ,

M. DC. XXVIII.





Zur. 08.

DE JURE PATRONA- TVS ECCLESIASTICO.

THEISIS I.

Gloria patronatus usus quam sit necessarius, *Vsus juris*
quamque frequens, nemo est qui nesciat: quippe cum *patrona-*
Ecclesiarum constructionem & dotationem maximè *tus:*
promoveat, patronorum quoque jus firmiter tueatur.
Hac inducti cum frequentia, tum necessitate, statui-
mus præsentia de Jure patronatus Ecclesiastico, eius causis, effectis,
subiectis, adiunctis &c. disputationis loco proponere, observato
ordine & modo decenti.

2. Ne autem in ipso disputationis limine *quærumq; vocabu-*
li prætermissa errorem gignat, paucis illam explicabimus. In jure *Explicatio*
civili duplēm habet significationem, 1. Sumitur pro Domino
servum manumittente, ex qua manumissione Jus patronatus ori-
tur, quod quale sit à Dd. latè explicatur in ff. & C. tit. de Iur. patr.
2. **P A T R O N I** dicuntur causarum advocati & defensores, ut est
text. *in l. rem novam. 14. §. patroni. 1. C. de jud.* quo sensu etiam sæ-
pius apud latinos authores usurpatum legimus, ut apud Cic. pro S.
Roscio. His de causis ego huic *causæ* patronus extiti. In jure Can.
similiter duabus significationibus scriptum invenimus. 1. *in cap.*
dilecta 14. de excess. præl. PRO S U P E R I O R E in aliquo collegio:
ut abbat, prælato vel etiam abbatissa. 2. *In tit. de Jure patr.* quæ
significatio est huius loci propria, & subiectum circa quod.

Historiæ vocabulum **P A T R O N U S** accipiunt pro eo, qui ci-
vitates, nationes, insulasvè in fidem suscepit defendendas, quo

A 2 modo

modo familia Marcellorum patrona fuit Insulæ Siciliæ. Et hodie
in terris Imperii civitates imperiales pleræque, præsertim minores,
suos habent patronos & defensores, Schurz und Schirms Herren.
Gail. 2. Obs. 54. per tot.

Definitio
et quod ns.

3. Sic ergo explicata homonymia benè sequitur definitio.
Circa quam dandam maxima est Doctorum, ut semper fieri con-
suevit, pugna, alio alium corrigente, carpente, & definitionem ut
inconvenientem pronunciante. Definitionem Hostiensis, quâ dicit,
Jus patronatus esse potestatem præsentandi instituendum
ad beneficium simplex & vacans, rejiciunt Joh. Andr. & Dom.
Cardin. ex hoc, quod non exemplificet totam quidditatem & sub-
stantiam definiti, ut latius exponit Rochus de Curte in eleg. suo tr.
de Iure Patr. in pr. num. i. Eandem subit fortunam definitio Goffre-
di talis: Jus patronatus est authoritas sive potestas provi-
dendi Ecclesie, proveniens ex beneficiis ante consagratio-
nem ipsi Ecclesiae collatis. Carpunt enim prædicti Dd. verbum
providendi, & verbum ex beneficiis. Unica illa transit sine insi-
gniori quapiam reprehensione, quam habet Sebas. Medic. in tract.
defin. 56. & sequitur Tholof. in syntag. l. 17. cap. 4. num. i. videlicet,
quod sit jus honorificum, onerosum & utile, competens
alicui in Ecclesia, pro eo, quod de diæcesani consensu Ec-
clesiam fundavit, construxit, vel dotavit ipse, vel is à quo
causam habet, solus vel cum alio concurrente.

Differet ab
Electione.

4. Et quò ad ulteriora aditum planiorē faciamus, paucis
trademus, in quibus potissimum Jus patr. ab Electione, institutio-
ne, confirmatione, postulatione, & nominatione differat.

i. A B E L E C T I O N E differt ratione beneficiorum, quod hæc est
alicuius personæ ad dignitatem vel fraternalm societatem idoneæ,
servata forma canonice facta vocatio. Et locum habet semper in
collegialibus Ecclesiis & beneficiis, in quibus Jus patronatus habe-
ri nequit, quemadmodum in simplicibus beneficiis. c. Messana. 56.
de elect. Atque hoc verum est, quoad præsentationem rectoris Ec-
clesie collegiatæ, ubi tamen patroni circa jam factam electionem
non indecenter postulatur assensus c. sacro sancta si. eod. non quoad
honores & similia, item quoad alia beneficia, ut not. Abb. in cap.
cum

Quæ Eccle-
sia dicatur
collegiata
Vel simplex
explicat
Tholof. tr.
de benef.
Eccles. c. II.
num. 14.

eum Ecclesia Vulterana 31. d. t. Et benè notandum, quod in Ecclesia collegiata patronus nunquam possit acquirere jus eligendi consuetudine contraria, quia illa dici debet potius corruptela. d. c. Mefiana.

298.

2. Differt ab INSTITUTIONE, ut prius & posterius. Institutio enim est præsentati à patrono confirmatio facta per Episcopum. Institutio ergo est præsentationis q. complementum, & perfectio in hoc, quod præsentatus à patrono tum demum potest administrare sacra, si institutio facta fuit.

3. Differt à CONFIRMATIONE ratione beneficiorum. Confirmatio enim est electionis prius factæ corroboratio à competente facta. de qua latè Host. *in sum. de confirm. util. vel inut.* Breviter, quod electio est in beneficiis collegiatis, id jus patronatus in simplicibus: Et quod institutio in simplicibus, id confirmatio in collegiatis.

4. Differt à COLLATIONE Ecclesiæ vel patronatæ, vel non patronatæ. Collatio namque locum habet in non patronata, præsentatio vero in patronata. Est enim collatio libera beneficiorum concessio, quæ fit ab Episcopo in Ecclesia libera, vi suæ diæceseos, quæ regulariter Episcopo competit in omnibus Ecclesiis in suo territorio positis. *c. omnes basilica. 16. quest. 7. Tholos. de Benef. Ecclesiast. cap. 39.*

5. A POSTULATIONE differt ratione personarum, quibus beneficia conferenda sunt. Nam postulatio est alicuius personæ, quæ eligi prohibetur, non propter vitium perpetuum, sed propter defectum qualitatis, qui tamen postulatum non omnino inhabilem reddit, concors & canonica, à capitulo petitio. Est ergo postulatio gradus quidam & accessus ad electionem beneficii ipsam, quæ habilitatur postulatus ad eligendum, ut ipsi quasi spes quædam fiat certa de electione. Pro facilitiori captiu similia ponam duo, unum ex Jure civ. alterum ex feud. In jure civili simile est in S P O N S A L I B U S ab impubere celebratis. in *L. sponsalibus 14. ff. de spons.* Nam sicuti impubes nuptias contrahere prohibetur propter immaturam ætatem, in *pr. Inst. de Nupt.* sponsalia tamen celebrare non prohibetur, quibus de futuris nuptiis certior redditur. Ita minor trigesima annis, quamvis ad Episcopalem dignitatem promovendus & eli-

A 3 gendus.

197 - 29

gendus non sit. c. cum in cunctis in pr. de elect. postulari tamen potest, non obstante aetate minori. Inst. Can. de postul. §. sciendum 2. In jure feudal i similis est spes facta alicui a domino feudi sibi aperiendi. Mit der Anwartsung eines Lehens. de qua est text. in c. Moribus. si de feud. defunct. Gail. 2. obs. 55. n. 2. Quod tamen non eò intelligendum, quasi ex postulatione jus acquiratur postulato petendi beneficium, prout illud habet, qui sponsalia celebravit. beneficia enim non vacantia promitti non debent. c. 2. de concess. praebend.

Vid. c. Apo-
stolica. 8.
quast. 1.

Nominati-
one.

6. Differt à N O M I N A T I O N E , multitudine personarum praesentandarum. Nam qui jus presentandi habet, ille unicum saltem presentare potest una vice: qui verò jus nominandi, duos, tres aut plures presentare potest, ex quibus deinde liberum est Episcopo, uni gratificari. Hinc nominatio est duorum, trium vel plurium, ut idoneorum, electionis causa expressio. Tholos. in Synt. l. 17. cap. 12. num. 4. Quale jus habent status Imperii in constitutione Assefforum Cam. Imp. Nam ibi postquam unus desiit esse assessor, status vel circulus Imperii, cuius assessor officium depositum, duos aut tres alios idoneos nominare debet, ex quibus deinde Judex & Assessor res unum eligunt. Ord. Cam. p. 1. t. 4. §. Wo anch. Valde affinis est institutioni & confirmationi O R D I N A T I O , quæ plerunque cum institutione coniuncta est, quando scil. per preces solennes & manuum impositionem publicum ministerii munus examinatis & dignis committitur. Quæ an necessaria sit, an vero adiaphora & indifferens, vid. apud Theolog. sub tit. de Minist. Eccles. ubi contra Pontificios, & imprimis Bellarminum disputant.

Ordinatio.
ne.

5. Ut verò ordo aliquis sit subsequentium. 1. trademus modos acquirendi, ubi simul de persona acquirentis agetur. 2. One-
ra, honores, & utilitates Juris patronatus, ubi de adjunctis. 3. Mo-
dos amittendi, vel in perpetuum, vel pro una vice. 4. Usum fo-
rensem.

Modi ac-
quirendi
Fundatio.

6. Primo igitur de M O D I S A C Q U I R E N D I , qui varii sunt & diversi. Inter quos primus est F U N D A T I O , cùm quis fundum & locum, ubi ædificata est Ecclesia, concessit & assignavit. c. nobis 25. vers. profundatione h. t. Guil. Redoa. de Simon. ment. c. 28. num. 4. Secundus est E X T R U C T I O . h. e. cùm quis suis sumptibus Ecclesiam ædificari curavit. c. nobis 25. in pr. h. t. Ubique requiritur

Extructio,
ubi requi-
ritur.

I. R E L -

I. RELIGIO ÆDIFICANTIS ORTHODOXA. Paganus,
enim Turca, Judæus, hæreticus, & qui à fide separatus est, privile-
giis Christianorum non utitur, l. quicunque 8. §. Vniversi 3. C. de
beret. Hæretici universi non Ecclesias, non monasteria sibi con-
struant, ne quod in gloriam DEI cœptum est, id ad nominis eius
profanationem vertatur. N. 67. c. i. in fin. 2. DIÆCESANI
CONSENSUS d. c. nobis. Ioh. de Selv. de benef. quæst. 6. n. 14. part. i.
Nemo enim Ecclesiam ædificet, antequam Episcopus civitatis ve-
niat, publicè atrium designet, ibidemq; crucem figat, & ante præ-
finiat, qui ædificare vult, quid ad luminaria, & ad custodiam, &c. ad
stipendia ministrorum conferre velit. c. nemo ii. dist. i. de Consecr.
§. sacrae 8. Inst. de rer. divis. N. 67. per duo cap. prior. ubi etiam hæc
allegatur causa, ne videlicet speluncæ illicitæ, & non orthodoxæ
Ecclesiæ ædificantur. D. N. c. i. in fin.

Relligio: &
dificantis
orthodoxa.
An illegi-
timi jus pa-
tronatus
obtinere
possint, vid.
apud Gab.
Pale. &
lib. de Na-
this. c. 58.
num. 8.
Diacefani
consensus.

7. Prædicta observanda sunt in terris pontificiæ Religioni
addictis, ubi non consensus principis territorii, deß Landts Fürsten
vnd Oberherren/ sed Episcopi requiritur. *per jur. alleg.* Hodie post
sancitam pacem religiosam, & suspensam jurisdictionem Clerico-
rum Ecclesiasticam, quoad territoria Augustanæ confessioni man-
cipata, si cui ex Lutheranis, ut vocant, qui S. R. J. mediatè subie-
ctus est, animus sit domum orationis exædificare, principem terri-
torii adeat, & de consensu ad ædificium impertiendo supplicet, quo
impetrato liberè opus aggrediatur. Sed quæstionis hîc est, An in
eiusmodi casu patronus etiam instituendi jus habeat, an verò illud
ad principem loci pertineat? Ad quod dubium pro tenui facultate
respondeo, pertinere jus instituendi ad principem, sic ut debeat pa-
tronus præsentatum ad consistorium, vel superattendentem remit-
tere, à quo examinetur & ordinetur. Huius assertionis rationem
deduco i. ex eo, quod eius est institutio, cuius datio consensus,
Atqui in hoc casu principis est consensus. E. & institutio. Et ita
observari locis in plerisque patet ex Ecclesiarum ordinationibus.
Kirchenordnungen. quarum quædam etiam hoc statuunt proce-
dere in Jure patronatus stante adhuc Papatu acquisito. Neuburg.
Kirchenordnung. tit. Von dem Predigamt/ s. Zum anderen/wie-
wol wir. Hessische Kirchenordnung / sub tit. Von annahmung
vnd bevrlaubung der Prædicanten. quam transcripsit Reinköng. l. 3.

cl. 1. de Regim. Eccles. c. 9. num. 57. Secundo probatur ex eo, quod vi transactionis Passaviensis de Anno 55. examinatio & institutio, ut pote species Jurisdic^t. Ecclesiasticae, (quod expressis verbis dicitur in alleg. ord. Hafnia. §. Jedoch dieweil. &c.) in principes loci & territorii sunt translatæ, Episcopis vero ademptæ. Sin vero aliquis immediate subiectus est; & Ecclesiam extruere cogitat, nullius consensu opus habet, sed illud suo jure facere potest, in tantum, ut etiam instituendi jus habeat. Quamvis etiam immediate Imp. subiecti futurum Ecclesiæ ministerum ad proximum ministerium & collegium Ecclesiasticum remittant examinandum & ordinandum, illi praesertim qui vel unicam saltem Ecclesiam sub sua jurisdictione habeant. welche nicht mehr als eine Pfarr zubestellen haben/ quod tamen nullum jus collegio tribuit, sed liberum est cuique suos eò remittere, quò volet, cùm sit actus meræ facultatis.

8. Et hic consensus est expressus: qui quanquam in ædificanda Ecclesia requiratur, semper tamen ubi apparet, quod Ecclesia habet campanile, vel alia Ecclesiæ signa, præsumitur auctoritas & consensus Episcopi intervenisse. Selv. d. quæst. 6. num. 49. & 50. per jur. ibid. allegat. praesertim quando constat scivisse Episcopum, id quod actum est, & nullam habuisse causam ad contradicendum. c. nullus 17. h. t. Nisi enim iusta contradicti causa subsit, ad consensum compelli potest. d. c. nullus.

9. Tertius acquirendi modus est D O T A T I O. Quæ fieri debet ab ipso extructore & ædificatore Ecclesiæ: (quanquam & ab alio fieri possit,) qui enim Ecclesiam aggreditur ædificare, ipso facto videtur se obligare ad eam dotandam, non aliter, quam pater generans filiam c. piæ mentis 16. quæst. 7. c. nemo 51. dist. 1. de Consecr. c. cùm sicut 8. de Consecr. Eccles. vel alt. Quo etiam cap. 8. utitur Paulus de Citadinis in tract. suo de Iur. Patron. caus. acquir. secund. quæst. 7. num. 34. contr. gl. ad d. c. piæ mentis. quod ob favorem Ecclesiarum etiam post consecrationem possit dotari, ad hoc, ut ius patronatus acquiratur, retrotrahendo videlicet dotationem ad illud tempus primum, perinde ac si ab initio facta fuisset ante consecrationem. Tholos. tract. de benef. Eccles. c. 17. num. 4. Nec obstat, quod l. servitutes 14. in fin. dicit: Servitutes per loca religiosa nulli deberi: hic enim non constituitur servitus nova, quæ rem sacram aut

Dotatio.

aut religiosam profanet, eiusque conditionem deteriorem reddat, multò minus ipsi aduersetur, aut contraria sit, quod adducit gl. ibid. pro fund. part. negat.

10. Et cum Dotatio ad substantialia Ecclesiæ referatur, quâ à non esse ad esse producitur; (sano tamen loquendi sensu) Episcopus sanè in constructione novæ Ecclesiæ maximè providere debet, ut bona fundatoris aut ædificatoris ad dotationem quoque sufficiant, ne si idoneam pro dote cautionem exigere omittat, vel sine dote Ecclesiam consecret, ipse eam dotare teneatur, sicut tenetur prvidere illi, quem ordinavit sine titulo. c. Episcopus 4. de preb. & dign. gl. ad c. 8. de consecr. Eccles. Quod tamen verum dicit esse ibidem gl. 1. dum modo fiat sine læsione Ecclesiæ, cui Episcopus præest, ne delictum personæ in damnum Ecclesiæ convertatur. c. si episcopum 16. quest. 6. 2. facultates fundatoris prius sint excussæ, nec sufficientes ad dotandum inventæ. aliæ enim ad dotationem ipse cogentur. c. piæ mentis 16. quest. 7. Ut & hæres eius, qui fundavit. voti namque obligationem ad hæredem transire constat. l. 2. in fin. l. 9. ff. de pollicit. Tholos. de benef. Eccles. c. 15. n. 3. ubi latè de Ecclesiæ rum dote.

11. Atque hi tres acquirendi modi, vel in unam concurrunt personam, quod unus idemque & fundat, & ædificat, & dotat: quo casu & sibi soli jus Patronatus acquirit: vel sunt in diversis personis. Cùm absurdum non sit, unius Ecclesiæ plures esse patronos, si vide licet plures sufficienter eum dotaverint, aut unus fundaverit, alias ædificaverit, tertius verò dotaverit; quomodo etiam iis omnibus jus patronatus æqualiter competit, non observato eo, quod unus parum posuit in dote constituenda, alias multum, dum modo de his fuerit, qui aliquid posuerunt in dote constituenda, ut loquitur Innocent. pater veritatis, in c. perlatum. 1. n. 2. & seqq. h.t. Ubi simul addit, quod ratione dignitatis & maioris dotis fieri possit, ut unus patronorum duas habeat voces vel plures in præsentatione. Et si plures sunt patroni, super tali jure inter se convenire possunt, ut alternis vicibus præsentent. Cl. plures 2. h.t. quæ conventio realis est, non personalis, ut etiam ad hæredes & successores transferatur.

12. Quartus acquirendi modulus est VENDITIO CUM UNI-
B VERSITA-

Venditio
cum uni-
versitate.

220

27 - 28

VERSITATE. Cùm enim jus sit non merè temporale, sed spiritu-
alibus adnexum, c. de jure 16. eod. & propterea ipsum etiam cense-
atur esse spirituale. l. que religiosis. 43. ff. de R. V. quia mixtum se-
quitur naturam simplicis dignioris. Gail. 1. Obs. 38. n. 7. per se vendi
non potest. l. & liberi 4. ff. de contr. empt. gl. ad cl. c. 16. c. cum se-
culum. 13. h. t. Quod si emitur vel venditur specialiter, simonia est,
& debet emptor tali jure empto spoliari, ecclesia verò efficitur libe-
ra. Innoc. in c. quia clerici 6. d. t. & sic excutiendo jugum patro-
natus, erit patrona sui ipsius effecta. Guil. Redo. de Simon. ment. p. 3. c.
13. num. 8. & seqq. Ubi pluribus examinat modum facienda vendi-
tionis, quem hic referto. Et quod dictum est, jus patronatus per u-
niversitatem transferri, ampliatur procedere eo casu, ut si consistat
in aliqua universitate temporalium, & universitas transeat solùm,
quoad dominium utile, etiam jus patronatus transit, nisi speciali-
ter sit exemptum. c. ex literis. 7. cum gl. ibid. h. t. Sichard. cons. feud.
ult. ubi loquitur in terminis.

Succes^sio.

13. Sextò acquiritur Successione vel testamentaria vel
ab intestato, hæredibus suis & extraneis, masculis & fœminis,
argum. c. perlatum 1. h. t. c. filii. 16. quæst. 7. qui omnes coniunctim
pro una habentur persona, in stirpesque succedunt, non in capita
cl. fin. h. t. Quia enim res simplex est & indivisibilis, ad quemlibet
hæredum, etiam ex inæqualibus partibus in solidum transit, quoad
omneum eius effectum, honorem putà, onus & emolumenntum, præ-
terquam quoad præsentationem, quæ ita est apud omnes simul,
quia apud nullum singulariter. Innoc. in c. perlatum. 1. num. 2. & 3.
Non tamen hæredibus est concessum, in patronatis Ecclesiis à præ-
cessoribus institutos absq; causa deponere. absurdum enim vide-
tur, ut ad singulas patronorum secundùm humanam conditionem
mutationes, Ecclesiarum ordinationes mutentur. verba sunt c. que-
rimoniam. 9. h. t. Vid. Covarr. variar. resol. lib. 2. cap. 18. num.
6. & seqq.

Q. An pos-
sit legari?

14. Circa successionem non incongruè quæritur, An jus
patronatus possit legari? Pro affirmativa videtur facere, quod
quia de eo possumus testari. E. etiam illud legare. eadem enim ra-
tio est principalis, quæ accessorii, & legatum sequela testamenti.
Sed

Sed non obstat hoc negativa verior est, videlicet, quod non possit legari, nisi de consensu Episcopi, aut Pontificis. Cum enim legatum modus sit singularis, quo Jus patronatus acquiri non potest. *Ioan. Dilectus de art. testand. caut. 67.* testatori jus patronatus legatuero suadet, ut cautus sit in obtinendo Episcopi consensu prius, quam leget, ne eo mortuo tale legatum inutile sit & nullum. Hoc tamen addit, quod consensus Episcopi etiam impetrari possit, post testamentum conditum, & vivente adhuc testatore. *c. suggestum 2. argum. c. cura 11. b. t.* Potest etiam hoc modo sustineri legatum, si relictum sit sub conditione, si Episcopus consenserit. *Dilectus d. l. caut. 69. in fin.*

15. Septimò acquiritur DONATIONE, cuius consideratio respectu duplicis donatarii duplex est. Aut enim donatur laico, aut Ecclesiastico. Si laico, donatur cum consensu Episcopi. *c. ex insinuatione 14. b. t.* ut scilicet ipse Episcopus videat, an expedit Ecclesiæ mutare patronum. Nam si vellet Jus patronatus donare potentiori seu tyranno, tunc Episcopus non debet consentire. *Ioan. de Selv. de benef. part. 1. quest. 5. num. 15.* Qui alias cogi potest ad consentiendum per Archiepiscopum, si nulla subsit causa dissensus. *Panor. in c. nullus. 13. b. t.* Si vero Ecclesiastico fiat donatio, intuitu Ecclesiæ Episcopi consensus non requiritur, quia clerici si terminos excedunt, facilius corrigi possunt per Episcopum, quam laici, quam diversitatis rationem assignat Paulus de Cidad. *de Iure Patron. part. 9. num. 10. in fin.* De non necessario consensu in donatione Ecclesiastico facta textus est. *in c. 61. laicus c. de I. Patr. 116.*

16. Circa PRÆSCRIPTIONEM maxima est Doctorum omnium dissensio. Pro qua felicius solvenda sequentes pono conclusiones. 1. In Ecclesia libera jus patronatus præscribi non potest, nisi annis quadraginta, accidente bona fide & justo titulo, *c. si diligenti 17. de præscr. Innoc. in d. c. 17. ad verb. titulus. & gl. ibid. ad verbum:* Justus titulus. sine titulo tanto tempore, cuius non extat memoria. *c. 1. de præscr. in 6.* 2. In patronata Ecclesia præscribitur Jus patronatus annis X. vel XX. pro ut reliqua jura. Non enim per talem præscriptionem conditio Ecclesiæ sit deterior, sed patroni prioris, qui excluditur ab illo iure,

B 2 per

ZZE

27 - 28

per præscriptionem alterius. *Balb.* de præf. partis 1. part. 5. princip.
quæst. 9. num. 4. Et acquiritur possessio. Jur. Patr. per unicum so-
lummodo præsentandi actum, ut est apud *Guil. de Bened.* ad c. Ray-
nuttius. de testament. super verbo: *Et uxorem nomine. decis. 1. num. 25.*
ubi etiam ulterius progradientur dicendo, quod, quia semper præsu-
matur, beneficia suos habere fundatores & dotatores, etiam con-
tra Ecclesiam liberam à laico. Jus patronatus acquiratur, per unicū
actum, etiam si aliter non probet. in quo tamen ipsi non consentio.
per ca. omnes basilicæ 16. quæst. 7. Addenda est 3. quod patro-
nus compatronum suum, vel ipsa Ecclesia, aut Episcopus
patronum à Jure Patr. excludere possit, per prohibitionē,
accedente patientia compatrioni, & legitimo temporis
curriculo, pro ut illud in servitutibus observatur negativis. Hanc
præscriptionis materiam per aliquot pag. & conclus. latè prose-
quentur *Covarr.* ad Reg. possessor malæ fidei. in 6. §. decim. p. t. &
Balb. d. loc.

An ius patronatus permutatione possit acquiri vid. *Guid. Pap.*
decis. 374. Item, an ius patronatus competens primogenito, tran-
seat in emptorem. vid. apud. *Tiraq. tract. de primog.* fol. 447. Ubi
plures de hac materia enucleat quæstiones. it. ad l. si unquam C. de
reyoc. donat.

17. His modis iure patronatus acquisito, transeunt etiam
in acquirentem iuris patronatus adiuncta: quæ potius effecta vo-
cabis. Onera videlicet, honores & emolumenta. **O**NUS præci-
puum consistit in hoc, quod patronus pro Ecclesia patronata soli-
citudinem gerere, ab omnibus oppressionibus illam pro posse de-
fendere, & procurare debet, ne bona eius dilapidentur. *c. filii 16,*
quæst. 7. Innoc. in rubr. b. t. c. quicunq. 16. quæst. 7. **H**ONOR con-
sistit in tribus. 1. In **P**ROCESSIONE), quæ debetur patrono in
Ecclesia patronata *c. nobis 25. h. t.* 2. In **S**EPULTURA), quæ
patrono honestior præ aliis concedenda. 3. Potissimum in **P**RA
ESTATIONE), de qua paulò fusiùs. Præsentatio autem ni-
hil aliud est, quam nominatio facta à patrono instituendi
ad beneficium vacans. Ubi considerandum, quale vacet be-
neficium, ut secundum eius qualitatem persona sufficiens & ido-
nea.

Effecta.

Onus.

*Honor qui
maximus
est in
Presenta-
tione.*

neā p̄äsentetur. c. grave 29. de pr̄ab. c. relatum 3. in fin. de concess.
pr̄ab. Idoneitas autem consistit i. In legitimis natalibus.
Cūm enim Ecclesiae honestas maximē deformetur ex eo, quod non
legitimē nati, ad dignitates, personatus, & alia beneficia, curam
animatorum habentia, promoventur, PP. GREGORIUS IX. in
c. fin. de fil. presb. districtius inhibuit, ut pr̄dictis personis, à di-
gnitatibus, personatibus & huiusmodi beneficiis amotis, ea perso-
nis legitimē natis conferantur. c. ut filii. i. cl. t. cum seqq. aliq. Tho-
los. de benef. Eccles. c. 35. per t. Gabriel. Palaeotus. S. R. E. Card. lib. de
nothi spuriis, filiis c. 57. & seqq.

277

Nihil tamen prohibet, quin pro diversitate beneficiorum vel
Papa, vel Episcopus, ob insignem morum honestatē, & literarū
scientiam, unde maxima ad Ecclesiās proventura sit utilitas, ac-
cedente insuper aliorum legitimē natorum idoneorum penuria,
dispensare non possit. t. t. de filiis presb. in 6. Ubi notandum, dispen-
sationem natalium pro beneficiis obtinendis expressē fieri debere
in ordinatione, non enim inducitur ex collatione simpliciter facta.
gl. ad c. un. in verb. dispensare, de etat. & qual. pr̄fic. in 6. Et dispe-
satio fieri debet ab eo, qui super hoc potestatem habuerit. c. frater-
nitati 2. de schism.

27 - 28

18. 2. Consistit idoneitas in ætate legitima coniuncta
cum scientia literarum, & gravitate morum. c. grave 29. de
pr̄ab. c. cūm in cunctis 7. in pr̄. de elect. Indecorum enim est, ut hi
debeant Ecclesiās regere, qui non noverunt gubernare seipsoſ,
cūm ad Ecclesiārum regimen tales admittendæ ſint personæ, quæ
discretione pr̄emineant, & morum pr̄fulgeant honestate. c. in-
decorum 3. de etat. & qual. pr̄fic. cum c. seq. Ut verò ſunt varii be-
neficiorum gradus, quorum unus altero dignitate pr̄stantior: ita
& ætas pr̄ficiendorum non una eſt & eadem. In genere, nullius
Ecclesiā regimen minoribus XIV. concedatur. d. c. indecorum.
quanquam non minus etiam hac in parte dispensari poſſit, prout
talis caſus ponitur in c. ex ratione 2. de etat. & qual. ubi pueris, qui
ſunt intra decennium constituti, Ecclesiā fuerunt concessæ, quæ
tamen non per laicos, ſed clericos disponebantur uſque ad ætatem
justam. t. t. de etat. & qual:

B 2

Quod:

Quod attinet ad LITERARUM INSCITIAM , notandum est, illam non solum obstare præsentando & instituendo, sed etiam (si ita enormis sit) jam promotū dejicere. c. fin. de etat. & qual. Ubi Episcopus Grammatices ignarus ab administratione Ecclesiæ penitus fuit remotus. Scientia tamen in quibusdam beneficiis maior, in aliis minor exigitur, in omnibus sufficiens esse debet oneri & dignitati, ad quam quis promovendus est. Etsi enim desideranda sit eminens scientia , competens tamen toleranda. c. nisi cum pridem 10. §. pro defectu. de renunc.

19. MORES PRÆSENTANDI sint irreprehensibles, sine crimine, ex quo scandalum possit oriri , ut sunt rei adulterii, periurii, homicidii, falsi testimonii, &c. quæ crima proposita, si ordine judiciario comprobata, vel alias notoria fuerint, prohibent ordines sacros accipere, vel in acceptis administrare , c. fin. de temp. ordinat. Nov. 123. c. 12. Generaliter quamvis infames ad beneficia non possint vocari c. inter dilectos 11. de excess. præl. cùm infamibus portæ dignatum non pateant. reg. infamibus 87. de R.I. in 6. tamen infamia superveniens non semper privat dignitate infamatum , nisi interveniat sententia. Semper autem impedit habere beneficium de novo. Boër. in addit. ad d. Reg. 87. c. super his 16. de accusat. Quia per patientiam multa tolerantur, quæ si in judicium venirent , reprobarentur. c. cùm jam dudum 18. de præb.

20. Porro ratione personæ præsentandæ memoria tenendum, quod nullus patronorum ad vacantem Ecclesiam , in qua jus patronatus obtinet, se ipsum possit præsentare, quantumvis idonus sit, quibuscunque studiis & meritis juvetur. c. per nostras 26. h. t. c. cùm ad nostram 7. de institut. Debet enim inter dantem & accipientem personalis esse distinctio. d. c. 26. Sed filium suum , aut nepotem benè potest, ut tenet Chassan. conf. 17. num. 12. per multa jura ibid. alleg. Quod tamen non procedit in eo, ubi quis emit jus patronatus, ob eam duntaxat causam, ut filium suum præsentare posset. c. quia clerici. 6. de Iur. Patr. Laur. Kinch. cent. 3. opin. com. concl. 73. Simonia enim committeretur.

20. Modi præsentandi tres sunt. I. Ut fiat justo tempore. Quod tempus pro diversitate patronorum etiam variat. Laicis concessi sunt menses ad præsentandum quatuor: clericis vero sex. c. cùm de

de iure patr. in 6. Ratio quare longius clericō, quam laico ad præsentandum conceditur tempus, adducitur à gl. in d. c. un. quia gravatus in uno, relevari debet in altero. per l. eum qui 30. in pr. ff. de iurej. Cùm enim laicus habeat privilegium aliud, videlicet, quod possit in præsentatione variare, hoc est, nisi iam præsentatum Episcopus instituerit, mutata voluntate alium possit præsentare, quod clericis indultum non est. Hi enim præsentatione semel facta, amplius variare non possunt, licet ille præsentatus à diæcesano institutus nondum sit. Sed locum hīc habet regula: quod ab initio est voluntatis, id ex post facto fit necessitatis. l. in commodato 17. s. sic a. 3. ff. commod. Ad hoc autem, ut clericus amplius variare nequeat, & præsentatio facta censeatur, requiritur præsentatio instituendi corporalis facta diæcesano, nec sufficiunt literæ, in quibus denominatur instituendus. gl. & Dd. ad d. c. un. b. t. in 6.

Addite his, quod si contingat, duos esse compatronos, unum laicum, alterum Ecclesiasticum, regulari eo casu ius laici secundūm Ecclesiasticū, per ea quæ tradit Felin. pro & cōtr. in c. I. de præscr. argumento l. si communem 10. in pr. ff. quemad. serv. amitt. Et hoc procedit etiam de casu, ubi plures sunt patroni laici, unus verò Ecclesiasticus, ut notat Rocchus de Curt. in verb. Ius. n. 24. tract. de Iur. Patronat.

22. Secundus in præsentatione modus est, ut fiat de BENEFICIO VACANTE. Concessio enim, quæ de re non vacante facta est, de iure nullius esse potest momenti. c. illud. 8. b. t. Tertius modus est, ut fiat GRATIS, non interveniente pretio aut mune-
re c. ordinationes. 1. quest. 1. ne simonia totum infirmet actum. c. per suas 37. cum duob. seqq. de simon. taliter etiam exacta duplicata restituenda. c. audivimus. 41. ibid. Tholos. de benef. Eccles. c. 39.

23. Probè tamen hīc notandum, quod per solam præsentationem, modo quantumvis legitimo factam, præsentatio ius plenum & tale non acquiratur, ut non requisita Episcopi institutione sibi præsumat, Ecclesiarum administrationem subire. Non enim patronus pleno iure confert, c. quod autem. s. c. illud præsumendum 8. & c. relatum 21. b. t. Sed quod inchoatum est à patrono, adprobati debet à diæcesano, cognoscendo, an persona præsentata ad beneficium vacans idonea sit, & sufficiens, cum ratione morum, tum ratione:

27 - 29

tione scientiæ litterarum. Nullatenus enim inter Ecclesiasticos habendus est, si quis de manu personæ solius laicæ administrationem Ecclesiæ suscepit. c. si quis deinceps. 16. quæst. 7. quia huiusmodi personæ non intrant per ostium, verùm aliunde condescendunt, ac per hoc indigni sunt pastoris nomine, vel prærogativa gaudere. Commoniti beneficia resurgent, aut nisi hoc fecerint, ab officio & beneficio alieni sunt, segregenturque, constituta etiam in eos laicos excommunicationis pœna, per quos Ecclesiæ obtainent. c. relatum 21. h. t. c. si quis clericus. 16. quæst. 7. Non tamen exinde sequitur, Episcopum spredo patrono aliquem posse instituere, quia institutione absque consensu patroni facta, ipso jure nulla est. c. decernimus. 16. quæst. 7. & nullius causa deterior debet fieri ex alieno facto. l. omnib. mod. i. in pr. ff. de alien. jud. mut. Frenum injectit Ecclesiastice huic institutionum jurisdictioni pax Religiosa de Ann. 1555. §. Damit auch obberührte. Ubi communi procerum consensu expressè sancitum est, in constitutionibus ministeriorum, in den Kirchen Bestellungen / omnem omnium Clericorum Jurisd. Eccles. quo ad Ecclesiæ reformatas, suspensam esse, quod latius explic. supr. thes. 7.

24. COMMODUM juris patronatus summum est in eo, quod patroni eiusque liberi ad inopiam vergentes alii debent ex redditibus Ecclesiæ, c. quicunque. 16. quæst. 7. habita ratione personarum, facultatumque Ecclesiæ, ut etiam ministri, qui altari servient, de altari vivere possint. gl. ad d. c. quicunque. Ioh. Coras. de benef. cap. 6. num. 7. Consideratio personarum facit, quod aliis maiora, aliis minora decernuntur alimenta. Rustici enim non vescuntur pane albo, & aliis cibis delicatis, sed cepis, fabis & pane grosso, ut dicit gl. ad l. servis. 99. in pr. ad verb. cibariis. ff. de leg. 3. Nobilibus contra maiores assignandi sunt pro alimentis redditus. Alendus est autem patronus, in domo sua, non in Ecclesia, aut domo presbyteri, vel abbatis. Petr. Rebuff. de cong. port. benef. num. 97. Sed qua actione patronus ab Ecclesia alimenta petere possit, id apud Dd. non usquequaque expeditum est. Nos omissa longiori disputacione pro diversitate casuum diversas dari actiones statuimus. Aut enim tempore ædificationis vel dotationis alimentorum loco certi aliquid est promissum, interveniente stipulatione, tunc datur condictio

Cennmedū



dictio certi: aut promissa sunt quidem, sed non certa, tunc actio ex stipulatu competit: aut planè nulla promissa sunt, tunc condicitionem ex c. quicunque 16. quest. 7. dari certum est.

25. Occurrit hīc dubium non exiguum. An videlicet alimenta omnibus patronis indifferenter, & quibuscumque modis ad inopiam redactis, sint ab Ecclesia præstanta? Ad quod respondeamus, eiusmodi decoctoribus bonorum alimenta non deberi, ne ipsorum vitia aliis obsint, sibi ipsis verò profint. Ratio qua moverimur, ducta est à beneficio debitorum moratorio, quod vulgo quinquennales appellant. Istud enim conceditur debitoribus non quibusvis, sed iis tantùm, qui vel infortunio, vel aliis casibus maioribus, quibus resistere non potuerunt, solvendo non sunt, quod expressè lāncitum est in Const. Imper. de Anno 1548.rubr. Von ver-
dorbenen Kauffleuten. ibi. dieweil solche betrügliche / vnd schädliche Handlungen/ die sich einem Diebstall wol vergleichen/ den gemeinē Nutzen zu nachtheil gereichen/ so sezen/ ordnen vnd wollen wir / daß solche Handthierungen vnd GewerbsLeut / so sie fürschtlicher vnd betrüglicher weise &c. Quales sunt, qui aleā aut scortationibus bona sua dilapidarunt. l. 3. C. de aleat. & l. 1. C. de natur. lib. de quibus. vid. Azon. in sum. C. h. t. Quod si ergo huiusmodi prodigiis, qui ubique male in jure audiunt, beneficia denegantur saltem temporalia, quibus non debita tolluntur, sed exactiones illorum ad breve duntaxat tempus suspenduntur: multò magis his erit denegandum, qui genio & crapulæ indulgendo facultates suas profundunt, & ab Ecclesiis ali desiderant. Sacrilegium profectò committunt, qui cùm bonis suis sustentari potuissent, accipiunt quod pauperum est, & per abusum talium judicium sibi manducant & bibunt. c. quoniam. 16. quest. 1. Ad finem hīc notabis in genere, quod, quamvis in Ecclesia collegiata ædificatori, aut fundatori jus præsentandi non competit, reliqua tamen ex hoc jure provenientia attribuantur, ut sunt alimentorum præstatio, honor processionis & sepulturæ.&c.

26. Ex jam dictis facilè est concludere, quæ sint juris patro-natus A D I U N C T A. i. Videlicet quod sit Jus SPIRITUALIBUS *Adjuncta.*
AD NEXUM. c. de jure 16. h. t. id est, non simpliciter Ecclesiasticum aut sacrum, nec simpliciter seculare, sed quodammodo sacrū, quodammodo seculare, quæ vocabula logici vocant ἀνάλογα. Quia

C enim

27 - 28

enim laicis etiam competit, qui regulariter à dominio & possessione
sacrorum arcentur, dicendum est, illud sapere naturam rerum
temporalium. Tholof. in Syntag. l. 17. cap. 4. num. 2. Guil. Redoa. de
simon. ment. p. 1. cap. 28. num. 1. qui hanc adducit rationem, cur di-
catur spiritualibus adnexum, quia sit præparamentum ad ius spiri-
tuale, id est, ad institutionem obtainendam. Et quod Ecclesiasticum
sit, adparet ex consequentibus, videlicet quod non possit vendi per
se, nec recipiat estimationem precii. d. c. de jure 16. Ex quo secun-
dum resultat adiunctum, videlicet quod sit INESTIMABILE,
nec aliquo pretio valeat definiri. Tertium, quod sit INDIVISIBILE,
hinc hæredes succedunt non in capita, sed stirpes, & quamvis vel
mille hæredes sint unius defuncti patroni, tamen intuitu defuncti
pro una reputantur persona ratione voti in præsentatione. c. un-
hoc tit. in 6.

Modi amittendi pro
ana vice.

27. Hactenus de modis acquirendi, itemque effectis & ad-
iunctis: sequuntur nunc MODI AMITTENDI. Amittitur ve-
rò jus patronatus, aut in perpetuum, aut pro una vice. Pro una vi-
ce quis amittit. I. Quando scienter indignum præsentet
patronus Ecclesiasticus, non verò laicus propter beneficium va-
riationis. Et de patrono quidem Ecclesiastico dubium non est,
quin pro ratione occurrentis præsentationis beneficio suo prive-
tur, & ad Episcopum pro illa vice pleno jure transferatur. c. cum
Vintonensis 25. c. cum in cunctis 7. in fin. de elect. Tholof. in synt. l. 17.
cap. 4. num. 13. Sed an etiam laicus patronus pœnæ huic subiaceat,
quætionis est valde controversæ? Paulus de Cidad. in tract. suo de
lur. Patron. part. 6. art. 7. num. 4. pro affirmativa concludit, di-
cens, quod patronus laicus, qui debeat Ecclesiam defendere, & o-
mnem suam sollicitam operam intendere, ne operatio aliqua no-
xiam attingat Ecclesiæ, scienter indignum eligens (rectius præsen-
tans) dolosè faciat, qui dolus meritò sit coërcendus. Quanquam
verò hæc sententia nitatur argumentis non levibus, pro qua etiam
favor Ecclesiarum militat, de jure tamen sustineri non potest, ideo-
que rejicitur à Modest. Pistor. conf. 44. quest. 2. vol. 2. & talis adduci-
tur, videlicet quod laicus scienter indignum præsentans non prive-
tur ipso statim jure, sed tum demum, si tamdiu in præsentatione sua
perseve-

perseveraverit, donec tempus ad præsentandum concessum transeat. Et hanc opinionem defenderunt ante Pift. Ioh. Andr. in c. cum vos 4. de off. jud. ordin. per c. perpetuo 7. de elect. in 6. Panorm. in c. cum in cunctis 25. §. fin. col. 2. de Elect. Ubi dicit, quod quando pœna imponatur à Jure ipso facto, nunquam habeat illa locum, nisi delictum fuerit consummatum, quantumcunq; inchoatum.

28. Secundò amittitur jus patronatus pro una vice, Si patronus tempus ad præsentandum concessum labi passus fuerit, nec aliquem præsentaverit: tunc enim devolvitur plena potestas pro illa vice ex autoritate concilii Lateranensis in c. sicut 1. & c. licet 3. de supplend. negl. prælat. ad Episcopum, ut non expectata ulterius præsentatione patroni, idoneum beneficio vacanti præficere possit. c. si verò. 12. b. t. Et tempus hoc est continuo-utile. ut vocat Paul. de Cit ad. part. 6. art. 3. num. 44. quod incipit currere non à tempore vacationis: sed à tempore scientiæ, nec incipit currere impedito, putà per suspensionem, vel aliud impedimentum, ut est text. notab. in c. quia diversitatem 5. de concess. præbend. Modest. Pift. d. cons. 44. quest. 7. & hoc respectu utile est. Continuum verò est, quia, postquam quis scivit, beneficium vacare, etiam currit diebus feriatis, quia præsentare actus est divinis rebus inserviens, qui etiam diebus feriatis celebrari potest & debet. arg c. conquestus. 4. in fin. d. fer.

29. Tertiò amittitur jus patronatus per dissensum inter patronos, respectu personæ præsentandæ, aut juris, quod quis patronorum compatriono suo fortè negat jus præsentandi competere. Nisi enim intra tempus semestre controversia fuerit determinata, licitum est Episcopo personam ordinare idoneam. c. eam te. 22. b. t. non expectato litis eventu. Ioh. Bapt. Asinius, in Iud. prax. §. 2. c. 12. num. 23. Sin verò tales surrexerint inter patronos simultates, propter quas nolint sub uno presbytero Ecclesiam procurari, aut presbyter ab Episcopo ordinatus, officio suo canonice fungi non possit, Episcopus, si aliter non potest, tollat inde reliquias, atque eiusdem Ecclesiæ claudat ostia, ut sacra nulla celebrentur in ea, donec ad concordiam redeant. c. per latum. i. cum seq. 2. b. t.

30. In perpetuum jus amittitur, vel per interitum Ecclesiæ *In perpetuum*
C 2 patro-

27 - 28

patronatæ, vel per alienationem, vel per delictum, vel per renunciationem juris. PER INTERITUM, si fortè Ecclesia incendio consumpta fuerit, vel etiam terræ motu, aut vitio suo corruerit. argum. §. ult. Inst. de usufr. l. repeti. 5. §. rei 2. ff. quib. mod. ususfruct. amitt. Dd. ad c. monasterium 2. de relig. domib. Cùm enim jus patronatus consistere non possit nisi in corpore, Ecclesia videlicet, ipsa pereunte, necesse est etiam jura eius perimi. LIMITATUR hæc regula casibus duobus. 1. nisi patronus suis sumptibus Ecclesiam reædificaverit, accedente consensu Episcopi, tunc enim ex nova reædificatione jus patronatus redintegratur. Non tamen minuitur ex hoc Ecclesiæ interitu totali, jus patronatus fundatoris, fundo, aut dotatoris, dote salva existente, manent enim compatroni reædificantis. Roch. de Curt. ad verb. construxit. num. 13. Sed præferendus est in reædificatione prior patronus extraneis, imò ab Episcopo monendus, ut si velit, ipse reædificaret. argum. c. potuit fin. de locat. & argum. l. necesse. 8. ff. de in diem add. Ubi venditor necesse habet, meliore allata conditione, priorem emptorem certiorein facere, ut si quod alias adiecit, ipse quoque adiiciat, & ita rem, alias transituram, servet. 2. Limitatur, si unus sit patronus, qui Ecclesiam ædificaverit & dotaverit simul, licet enim illa totaliter diruatur, modò dos permaneat, nihil impedit, quo minus etiam secundæ Ecclesiæ patronus existat: etiamsi in alio loco, ac priore, reædificetur. Dos namque Ecclesiæ deservit secundæ, sicut deserviebat primæ, Innoc. in rubr. h. t. per text. notab. in c. 7. de relig. dom.

31. PER ALIENATIONEM amittitur modis supr. in acquirendo adductis, ultra quos est etiam permutatio, cum alio iure spirituali facta. Host. in sum. h. t. §. qualiter transferatur, arg. c. nemini 16. q. 7. Per RENUNCIATIONE vel remissionem non solùm alicui compatronorum, sed & ipsi Ecclesiæ factam per sententiam, vel adiudicationem iuris patronatus, aut per se, aut cum universitate factam Paul. de Cit. ad. part. 9.

32. PER DELICTUM amittitur variè: primum delictum est, si patronus propria manu, aut per tertium procuravit vel Episcopum, vel eius Ecclesiæ, cuius patronus est, ministram occidi, in tantum, ut nec is, nec hæredes eius usque ad gradum quartū admittantur. c. in quibus. pen. de pen. 2. delictum est hæresis aut apostata.

apostasia. Cùm enim hæretici & apostatae ab omni Ecclesiæ separati sint communione. c. ad abolendam 9. in pr. c. excommunicatus. 13. de hæret. & bona illorum ubique confiscentur. c. vergentis. 10. d. t. neutquam concedendum est, hoc unicum ius ipsis reservari integrum, cæteris omnibus deperditis, præsertim cùm sit spirituale, hæreticus autem contra spiritualia delinquit. Occasione confiscationis, cuius hic mentio facta est, Dd. quærunt, an ius patronatus ita simpliciter veniat in confiscatione? quod affirmat Guiliel. de Bened. ad c. Raynati, de testam. sup. verb. Et uxorem nomine Adelasiam, decis. s. n. 280. Contrarium tuerit Decius ad c. quanto 3. dejud. num. 7. & M. Antonius Peregr. de Iur. fisci. l. 5. tit. 1. num. 72. & 121. qui dicit, quod ius patronatus in extraneos transmissibile, etiam ad fiscum transeat, non verò non transmissibile.

33. 3. Delictum est LÆSA MAIESTAS, cuius sententiæ fundamentum ex præcedenti desumitur, quo ipso etiam utitur PP. INNOCENT. III. in d. c. vergentis. 10. Quia enim secundū legitimas sanctiones rei læsa maiestatis capite punitis bona confiscantur, filiis eorum vitâ solummodo ex misericordia conservata, etiam quia universitas transfertur, ipsum ius patronatus transit accessoriè. gl. in c. filiis 16. quæst. 7. Paul. de Citad. part. 9. art. 20. n. 28. contra Roch. de Curt. in verb. Ipse vel is, quæst. 20. contrarium alferentem. Conatur Hieron. Gigas de crim. læs. maiest. quæst. 4. num. 4. contrarias duas has opiniones sic conciliare, quod prima procedat, donec condemnatus vivat, ut scilicet eo vivente Episcopus præsenteret. posterior verò locum habeat defuncto condemnato, & transeat tunc in hæredes per jur. ibid. cumul. Malè tamen.

34. 4. Est omne delictum, cuius poena est, excommunicationis major, maximè in clero. Dom. de Rota decis. antiqu. 160. Quia excommunicationis maior à coetu fidelium, c. si quem 9. de sent. excomm. & ab omni actu legitimo separat & arcet. c. Engeltrudam. 13. quæst. 4. Satis manifestum est, excommunicationis poenæ in nodatis, ius patronatus competere non posse. In omnibus tamen amittendi modis ex delicto observandum est, filios ex delicto patris iure suo non privari, nisi tale sit cuius vel filius etiam participes sit, aut in quo metuantur hæreditarii criminis exempla quale est Crimen læsa Maiestatis. l. quisquis 5. Item si quis clericum ver-

C 3 beraverit,

226.

27-29

beraverit, aut criminē hæreseos, per jura sup. alleg. Hæc quoad Jus Canonicum ex d. c. vergentis. Civile mitius hac in parte cum filiis hæreticorum procedit, eos namque non statim & nullo respectu exhibito, spe paternæ hæreditatis privat, sed tum demum, nisi à paterna pravitate sint alieni. l. Manichæos. 4. §. sed nec filios 6. C. de hæret.

35. Ultimò amittitur per ædificationem sine consensu Episcopi factam, quod excluso jure patronatus cum dotibus suis Juribus applicatur Episcopalibus, nisi forte alicui noceat, tunc enim destruenda Ecclesia. c. nobis. h. t. §. diversum. Inst. Can. de Const. conf. Eccl. vel alt.

36. Haec tenus de modis amittendi, restat ultimum disputationis membrum, Usus videlicet forensis, in quo potissimum est forum competens, & illud pro ratione temporum & locorum varians. Quod enim pertinet ad illa tempora, quibus omnia erant sub Pontificatu, causa juris patronatus non nisi Ecclesiastico judicio poterat definiri, propter connexitatem cum spiritualibus. c. quanto 3. de judic. Quæstione ergo vel inter compatronos, vel Ecclesiam, aut patronum, ob denegata forte alimenta, orta, judex erat competens diæcesanus. c. decernimus. 2. de Iudic. sanè. si patroni diversarum sunt provinciarum, lis debet tractari coram illo Episcopo, in cuius provincia patronata sita est Ecclesia. c. sanè. 3. de for. compet.

37. Aliud tamen querendum est forum competens, controversia inter patronum & Episcopum orta. Cum enim in propria causa nemo possit esse persona simul litigans & judex. l. genera i un. C. ne quis in sua caus. l. quisquis. 6. in pr. C. de postul. adeundus est index superior, Archiepiscopus videlicet, qui inter utrumq; litigatorum simpliciter, de plano, & sine strepitu iudicii jus dicat. Cl. 2. de Iudic. Veruntamen, licet hi sint regulariter iudices competentes: tamen quia Romana curia mater est & magistra omnium Ecclesiarum, etiam in prima instantia causa hæc rectè agitur. c. liceat fin. de for. compet. Tholos. de benef. Eccles. c. 40. p.t.

38. Hodiernis diebus, quib. Episcoporum iurisdictio quo ad protestantes est suspensa. Const. Imper. de Anno 1555. de pac. religios. §. Darmst. auch obberührte: alii inter eos iudices sunt constituendi, quod

quod casibus duobus includi potest. 1. Aut enim controversia est inter patronos mediatè Imp. subiectos, & tunc iudex est ipse princeps, vel magistratus illius loci, quo Ecclesia sita est. d.c.sanè.3. quod etiam obtinet eo casu, quo controversia est inter mediatè & immediatè Imp. subiectos, si modò reus mediatus sit. 2. Aut lis est inter duos immediate Imp. adiunctos, Electores puta, Principes &c. vel unum mediatè, alterum immediatè, sic tamen ut posterior reus sit, tunc iure austregarum iudices primæ instantiæ competentes iudices erunt ordinationis. Ord. Cam. part. 2. art. 2. Item mit Rechtfertigung. Pertinet autem ad illos non solum cauia possessionis, sed & proprietatis, nisi inter duos immediatos tanta sit de possessione cōtentio, ut iustus armorum metus subsit. Fundatur enim hoc casu Jurisdictio Cameræ etiam in prima instantia, non obstante privilegio austregarum, propter tranquillitatem publicam, quæ eiusmodi factionibus & motibus detrimentum facile esset passura. Ord. Cam. part. 2. tit. 21. Rubr. Das die Sachen der Streitigen possession. Et processus hic momētaneæ possessionis, celerrimè est expeditus, quo finito etiam Cameræ iurisdictio exiprat, atque ordinarium possessorium coram iudicibus austregarum agitari incipit. Ord. Cam. d.t. 21. §. Wo auch. In secunda instantia ad Cameram redditur, ubi & possessorium agitur & petitorum.

38. Supersunt remedia possessoria, quæ varia & diversa. Si enim aliquis patronum in iure suo impedit, competit ei actio contra impedientem confessoria, ex l. utifrui. 5. ff. si ususfr. Bl. in l. cum res. 12. col. 3. vers. item q. servitutes. C. de probat. Modest. Pistor. conf. 44. q. ult. in fin. vol. 2. Matthæus Gribaldus in com. opin. vocab. Jus patronatus. Datur etiam Interd. uti possidetis in possessione turbato, vel unde vi planè iam deiecto. Frider. de Interd. c. 1. quib. casib. interd. uti posse cōpetat. Hæc sunt quæ in præsenti de Jure patronatus proponere voluimus, ubi lectorum benevolum admonitum volumus, nos magis ad præsentia respexisse tempora, quam præterita. Actum namq; videretur agere, qui præter illa aliquid de Jur. patr. dicere voulisset, extantibus tam locupletibus hac de materia authoribus,


Rocco vid. Paulo de Cittad. & Lambert. &c.

227.

27 - 28

F I N I S.





3



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt


urn:nbn:de:gbv:3:1-384137-p0028-0

DFG

Straßburg, Diss., 1627-28

ULB Halle
004 527 275


3



Slb


107





B.I.G.

Farbkarte #13



DISPV TATIO IN AVGVR ALIS

216.

De

1628, 11
xxxx
24

VRE PATRO =
IATVS ECCLESIA-
STICO, TEMPORIBVS
MAXIME NOSTRIS AC-
commodata,

QVAM

Divina favente gratia & clementia,

CRETO NOBILISSIMÆ ET AMPLIS-
simæ in florentissima Argentoratensi
facultatis Juridicæ,

*O SVMMIS IN VTRQVE IVRE PRIVILE-
giis & honoribus DOCTORALIBUS rite
obtinendis*

Discutiendam proponit

ETERICH HEVCHELIN NEOBURGO-
PALATINUS.



ARGENTORATI,

Excudebat PAULUS LEDERTZ,
M. DC, XXVIII.